DISPUTATIO MEDICA
DE
VARIOLIS ET MORBILLIS

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO

MED. DOCTORE, ANATOM. PROFESS. PVBL. ET ORDIN. NEC NON ARCHIATRO GVELPHICO

Dn. Præceptore, Fautore ac Hoſpite omni obſervantiæ cultu ætatem venerando

Publico eruditorum examini ſubmittit

MARTIN Homeyer HILDESH.

Autor & Reſpondens

AD DIEM XXI. IVNII.

)o(

HelmſtadI,

Literis Henrici Davidis Mülleri, Acad. Typ.

ANNO CIↃ IↃC LXXVI.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS

DNN. CONSULIBUS CONSILIARIO SUPREMO, SYNDICO, EQUITUM MAGISTRIS, TOTIQUE ORDINI SENATORIO

INCLYTÆ ET CELEBERRIMÆ REIPUBLICÆ HILDESHEIMENSIS

PATRIÆ SUÆ PATRIBUS

DNN. MÆCENATIBUS, PATRONIS AC FAUTORIBUS SUIS OFFICIOSE PLURIMUMQUE COLENDIS

DISPUTATIONEM HANC TESTANDAE OBSERVANTIAE ERGO

exhibet & dedicat

MARTIN Homeyer/

Aut. & Reſp.

THESIS I.

NOn pauca quidem adultis nobis ſupervenium mala, quæ ſanguinis impuri, & ſeſe defæcare annitentis, indicia ſunt; in infantibus tamen & pueris longè frequentiùs, & in pleriſque eveniunt, ut rectè inde concludere liceat, primò natorum ſanguinem eſſe impuriorem, eumque ſucceſſu ætatis magìs magiſque defæcari, in viris dein ad ſummum vigorem pervenire, & tandem iterum, accedentibus ſenectæ annis, defectus ſuos pati.

II. Solent multa, quæ in corpore noſtro fiunt, collatione cùm aliis rebus extra corpus contingentibus illuſtrari, & ita quoque ſanguinem noſtrum cùm vino Medici comparare ſolent, quod in utraque fluida maſſa cùm alia multa ſimilia, tum cruditatis, maturationis & defectionis tempora obſerventur. Vide ex recentioribus *VVilliſium cap. 1. de febr. p. 104.* Non neſcio equidem multa in iſta ſimilitudine eſſe diſſimilia, ceu aliàs quoque, cùm fermentationis vocabulum ad motus inteſtinos fluidorum in corpore noſtro transfertur, non ſemper æquè propriè id fit: interim tamen non omnino rejiciendam iſtam comparationem puto, cùm diligens obſervatio doceat, habere ſanguinem multa communia cum ſucco aliquo vegetabili

tabili, ideoque non poteſt in eodem ſtatu ſemper perſiſtere, ſed heterogenea à ſe amandat, quamvis id ſenſim ſenſimque faciat; nec tali cum ſenſibili motu aut manifeſta mutatione, aut ſubſidentia fæculentarum partium, ut in vino deprehenditur, aliiſque plantarum ſuccis.

III. Dum nimirum ſanguis continuo in corpore circulari motu fertur ex corde in arterias, inde in venas, & iterum per eas ad cor, cùm alibi tamen multa à ſanguine ſeparantur, tum in extremitatibus & ſuperficie corporis acriora quædam excidunt, & abſceſſus puſtulaſque varias pariunt.

IV. In corpore autem infantili & puerili, ab ipſo ortu & per decurſum uſque ad pubertatem, imò ad adultam magìs ætatem, adeò frequentes ſunt eruptiones hujuſmodi, ut miratus ſæpe fuerim, cur *Hippocrates*, accuratiſſimus, imò divinus in obſervandis phænomenis vir, *ſect. 3. aph. 24.* inter parvorum & nuper natorum morbos ſolas aphthas, non item alia ἐκθύματα numeraverit. Ne enim nunc dicam de lactea cruſta, & achoribus, tineaque (memorantur enim ab omnibus, qui de infantium morbis ſcripſerunt) in capite tam frequenter apparentibus; quis non quotidie obſervat, infantes noſtros primùm natos & aliquouſque progreſſos, vel in capite, vel in toto corpore puſtulis papuliſque non unius generis obſideri, herpete miliari infeſtari, apoſtemata hinc inde in corpore accipere, ſcabie autem eaque variâ ita frequenter laborare, ut centum priùs pueri, quàm unus adultus, ſcabioſi deprehendantur? Vnde etiam *Corn. Celſus l. 5. c. 28. §. 14. & 15.* ubi de verrucis & puſtulis

ſtulis agit, *pueris maximè & in puerili ætate maximè* evenire ſcribit, & rectè *Ioh. Hucherus*, & doctiſſimus *Primeroſius* de ſcabie inter morbos primæ ætatis agunt, peculiaribus de morbis puerorum tractatibus.

V. Huc jam pertinent Variolæ quoque & Morbilli, ex ἐκθυμάτων genere omnino, niſi quod in modo proruptionis id habeant peculiare, quod cum febre acuta per modum criſeos & cum plurimis ſymptomatibus utplurimùm prorumpant: quamvis, ſi diligenter attendant matres & nutrices, vix infantibus herpetes aut alia ἐκθύματα & abſceſſus prorumpant, ſine prævio aliquo calore præternaturali nunc majori, nunc minori, quem & tangentibus exhibent, cujusque incommoda inquietudine, ploratu & bibendi cupiditate demonſtrant.

V. Non meminit quidem harum quoque Variolarum vel Morbillorum inter pueriles morbos *Hippocrates l. c.* quod non injuriâ mireris; neutrum enim credibile eſt, vel planè non fuiſſe tum temporis id morbi genus, vel Hippocratem adeo diligentem obſervatorem id potuiſſe latere. An fortè in illis locis, ubi vixit Hippocrates, non tam frequentes, aut non adeò Epidemicè & tanta cum ſtrage pueros invaſerunt? An vulgaria, & quæ in plurimis citra opem Medicam ſuperantur mala, & Matres potiùs, quàm Medicos occupatos tenent, recenſere neglexit, ceu antea ſcabiem quoq; inter pueriles morbos ab eo non recenſitam fuiſſe dixi? Sunt verò etiam aliquot apud Hippocratem alioſque Græcos loca, ex quibus non obſcurè patet, ſimile quid ab ipſis quoque annotatum fuiſſe. Loca ipſa non adduco, quoniam memo-

rata ab aliis, & explicata, & ab objectionibus aliorum liberata ſunt. Vide *Ioh. Manard.* l. 7. Epiſt. 2. p. 110. *Sennert.* l. IV. de febr. c. 12. *Hier. Fracaſtorium* l. 2. de morb. contag. c. 2. *Zacut. Luſit.* de Medic. Princ. hiſtor. l. 2. quæſt. 2. *Salmaſium* l. de annis climacter. pag. 726. *Thom. Bartholin.* Ciſt. Medic. Hafnienſ. locul. 58. quæſt. 1. quamvis omnia ab illis ibidem dicta, nec ejuſdem momenti eſſe exiſtimem, nec probare poſſim.

VII. Contingit fortaſſis circa hunc morbum, quod circa alios quoque, ut priſcis pariter ac veteribus notus, ab his autem ſub illis formalibus terminis non deſcriptus, quibus recentiores uſi, ignotus planè antiquo ævo fuiſſe credatur. Sanè eâdem ratione Hippocratem Hypochondriaci affectus nullam habuiſſe notitiam aſſeverare quis poſſet, quamvis ſymptomata illius tam clarè variis in locis propoſuerit, ut neminem in divini viri ſcriptis verſatum latere queant. Nec apud Eundem Catarrhi Suffocativi fit mentio, quamvis ſine dubio obſervaverit. Sub aliis enim atque aliis nominibus propoſiti morbi, dum ſucceſſu ætatum Medici, novâ obſervatâ ſymptomatum congerie, aliam quaſi ideam affectus efformant, novi creduntur eſſe, & veteribus incogniti, quamvis ſub alia ſpecie clarè ſatis deſcripti ſint.

VIII. Non illuſtrabo modò dicta exemplis multis, ſed duo tantùm, quoniam de puerilibus morbis agere decrevi, adducam. *M. Aur. Severinus* in doctiſſimo ſuo de abſceſſibus opere ſub Pædarthrocaces nomine proponit Abſceſſum puerorum proprium, quem iſta quidem ſub voce incognitum, ſub τερήδον☉ tamen nomine non videtur ignorâſſe antiquitas, non diffitente

tente ipſo *Severino* cap. 14. Cœpit quoque non ita pridem vulgus in Anglia, & vulgum ſecuti, ut fieri in talibus ſolet, doctiſſimi Medici pueriles morbos novo aliquo augere, quem Rachitidem (vernac. the Richets) appellant, cujus varia ſymptomata, nunquam tamen ſimul in uno aliquo obſervabilia, proponunt CLL. *Gliſſonius*, *Bate*, & *Regemorterus*, huncque morbum hoc demum ſeculo, ante quadraginta & quod excurrit, annos natum ſcribunt, neminem tamen hactenus inventum, qui vel primum nominis autorem, vel ægrotum, cui morbi nomen accommodatum, vel locum peculiarem, ubi id factum, memorare potuerit. Vbi certum quidem eſt, ſub illo non tantùm nomine, ſed & ſchemate, morbum iſtum omnis ævi ſcholæ Medicæ, omnium gentium quoque Recentioribus Medicis eſſe in auditum: at pleraque illius morbi ſymptomata pueris familiaria, non eſſe vel veteribus, vel aliarum regionum Medicis obſervata, nolim temerè aſſeverare. Quæ enim ſupra laudatus *Primeroſius* lib. cit. part. 2. p. 122. ex *Hippocrate, Galeno, Fabric. Hildano* affert, fidem faciunt, non incognitum fuiſſe morbum illum aliis, quamvis non ſub illo nomine. Fieri quidem poteſt, & libenter concedo, morbum illum eſſe Angliæ quodammodo Endemium, certè, magìs ibi frequentem, quàm aliis in regionibus, ob aëris non tantùm, ſed victus quoque rationem; uti etiam obſervarunt, nobilium & urbanorum pueros frequenter, ruſticorum rarò affici; ſicut *Gliſſonius* p. 3 quoque notat in Septentrionalibus Angliæ comitatibus multò rarius hunc morbum occurrere, imò vix communiter notum, in Occidentalibus

bus frequentius: interim tamen & aliæ regiones pueros ſuos illius labis non planè expertes deprehendunt. *Cl. Arnold. Bootius* obſerv. Med. de aff. omiſſ. 12. in Hibernia morbum illum ab aliquot annis obſervatum, ubi antea rariſſimus ac vix cognitus, ſcribit, ſubjungitque dein, in aliis etiam regionibus illum graſſari, eſſe vero ſimile: quod de Gallia ſibi certiſſimo conſtet experimento, cum Pariſiis intra triennii & dimidii ſpatium diverſos infantes eò laborantes viderit. Id quod confirmat quoque Cl. Dnus Præſes, qui & aliàs ſæpius in his locis & hoc ipſo anno tribus pueris, Rachitide illa Anglica cum pleriſque ſymptomatibus laborantibus, medicinam fecit.

IX. Poſtquam deinde à Græcis ad Arabes Medicina pervenit, illi quidem hunc Adfectum plenè deſcriptum non uno in loco propoſuerunt; nullibi tamen videas, eos de hoc morbo, tanquam noviter exorto, loqui, quod fortasſis intermiſſuri non fuisſent, ſi veteribus Græcis, quorum ſcripta legerunt, planè intactum, & nulla in eorum ſcriptis ejus veſtigia deprehendiſſent. Id quoque notandum, quod *Rhaſes*, quamvis peculiarem de morbis puerorum librum ſcripſerit, in illo tamen Variolarum & Morbillorum non meminerit, libro autem 10 ad Almanſ. c. 18. ubi de febribus agit, illos quoque morbos pertractârit: id quod *Sennertus* etiam, aliique fecerunt, potiorem habentes acutæ febris rationem, quàm vel familiaritatis cum pueris, vel ἐκθυμάτων. Perinde autem eſt, quo loco de hoc morbo inſtituatur tractatio, dummodo rectè, & ad uſum artis inſtituatur; id quod nunc, Deo volente, aggrediar.

X. Cùm

X. Cùm autem de Variolis & Morbillis hanc Exercitationem inſtituere decreverim, habeantque maximam inter ſe convenientiam, in paucisque tantùm varient, primò de Variolis agam, deinde de Morbillis ea exponam, in quibus â Variolis differunt.

XI. Inveniuntur autem hæc nomina apud Interpretes Arabum, & Variolæ quidem illis denotant puſtulas altiùs eductas, & ſuppurantes, quas Germani die Blattern/ vel die Pocken nominamus: Morbilli verò rubras illas, depreſſas, nec ſuppurantes ſive puſtulas, ſive maculas, ſive aliter vocare velis, Germanis ſub nomine der Maſern cognitas.

XII. Dabo autem imprimis operam, ut morem & motum omnem hujus morbi quàm clariſſimè proponam, ideoque omnia ſymptomata, quæ ab initio uſque ad decurſum & finem morbi, ſenſibus ſeſe offerunt, cùm ex aliorum ſcriptis, tum propriâ qualicunque circa hunc vulgarem morbum obſervatione, tum advocatâ in ſubſidium CL. Præſidis experientia proponam.

XIII. Solet autem in initio adeſſe febris, eaque acuta: id quod diutina experientia tam certum eſſe deprehenſum eſt, ut idcirco plerique, ubi de febribus agunt, de variolis quoque & morbillis tractent, ceu jam ſupra th. 9. monui. Ut proinde pauca illa exempla, quæ ab uno aut altero Medico variolarum ſine febre, annotantur, attendi non debeant. Quàm facilis enim deceptio fieri poſſit, ſi Medicus inter initia non advocetur, ſed tum demum, quando jam proruperunt, notum eſt Practicis, ſta-

re enim tum cogitur relationibus ægrorum, qui minùs accuratè omnia obſervant, & ſæpe febris eſſentiam in rigore ſeu frigore ſitam exiſtimant; in variolis autem febres ordinariò ſine rigore ſunt, & mitiores ſæpe, quàm ut ab imperitis, vel in proprio corpore, vel ab aliis deprehendi poſſint. Cùm autem febres tales intra paucos dies evaneſcant, & ſæpe cum proruptione variolarum terminentur, contingere poteſt, ut Medicus ſerius advocatus ægrum ἀπύρετον deprehendat: quale quid contigiſſe, Medico docto aliàs, & perito, *Petro Foreſto*, arbitror. Ut enim prægnans illa, cui *variolas adeò copioſas* prodiiſſe ſcribit, l. 6. obſ. 50. *ut plures in ægrotante nunquam viderit*, ſine febre ante & in proruptione fuerit, non facilè inducor, ut credam, quamvis fortè, mox, poſtquam proruperunt, accedens Foreſtus planè eam deprehenderit ἀπύρετον, id quod ſæpe contingit. Recitavit mihi CL. Dn. Præſes exemplum pueri bimuli, qui inſtantibus variolis intenſiſſima febre laboravit, quique mane ſextâ vice graviſſimâ Epilepſiâ correptus fuit, adhibitis autem toto die expellentibus, & majori quidem, quàm Medicus præſcripſerat, doſi, ſubitò & confertim per totum corpus circa veſperam variolæ eruperunt, puer autem circa mediam noctem ἀπύρετος fieri, cibum poſcere, & qui mortuus pene adſtantibus credebatur, ſurgere & ambulare incepit. Idem *Foreſtus* l. 6. obſ. 49. *nonnullis quamvis pauciſſimis, pueris tantùm, variolas aut morbillos abſque febribus apparuiſſe* ſcribit: at in pueris facillimè & citiſſimè prorumpunt, & latere febres quàm maximè minùs attentos, vel inexpertos poſſunt.

XIV. Præ-

XIV. Præterea quoque fieri aliquando poteſt, ut à Medicis pro variolis habeantur, quæ variolæ veræ non ſunt, ſed alia ἐκθύματα, qualia ſine febre apparere poſſe libenter largimur. Ita ſanè ex omnibus circumſtantiis judico de aquoſis illis puſtulis, quas variolas nominat, & in filio ſuo ſine febre ſe obſervaſſe memorat *Schenchius* l. 6. obſ. p. 843. De Rhaſis Montuique variolis ſine febre idem ſuſpicari licet. Quas autem ſine febre ſynocho bis à *Pravotio* deprehenſas annotat *Joh. Rhodius* Cent. 1. obſ. 24. cùm ipſe non deſcribat plenè, quales fuerint, divinare nequeo. Non eſt autem neceſſe, ut propter unam alteramve obſervatiunculam, minùs ſæpe accuratè factam, & in oſtentationem narratam, ea in dubium vocemus, quæ tot ſeculorum & gentium longâ experientiâ deprehenſa ſunt, & quotidie deprehendi poſſunt.

XV. Sunt autem quædam adhuc circa motum & morem hujus febris annotanda, quæ prioribus quoque lucem afferunt. CL. Dn. Præſes ante triennium, cùm in hac urbe & vicinia Epidemicè graſſarentur variolæ, in aliquot pueris obſervavit, ſparſim in facie prorupiſſe puſtulas, veris variolis ſimiles, nec de ullo ſymptomate conqueſtos puerulos, ediſſe, luſiſſe, & foras prodiiſſe, quarto autem, quinto, imò octavo die manifeſtâſſe ſe febrem cum ſymptomatibus, & tum confertim prorupiſſe variolas. Uti autem in his exemplis febris tardiùs acceſſit, ita frequenter obſervatur, febribus homines corripi, quæ per plures dies ſine ullis puſtulis vel maculis, dein variolas vel morbillos efflorеſcere faciunt, non ſecus, ac infrà de aliis quo-

que ſanguinis commotionibus oſtendemus, per eas latens ſanguinis inquinamentum excitari, & in variolas abire. Tales Epidemias conſtitutiones notavit *Foreſtus* libro citato.

XVI. Hæ autem febres, quæ variolas præcedunt, poſtquam illæ proruperunt, vel planè deſinunt, ut modò dixi, vel certè miteſcunt, & intra paucos dies ceſſant. Contingit tamen interdum, ut febris continuetur, imò creſcat, vel de novo oboriatur, quæ ab altera illa diſtinguenda eſt, & aliam cauſam, alios quoque mores habet.

XVII. Loquor autem jam de illa febre, quæ antecedit variolas, ſeu in initio morbi obſervatur, quæ quidem in omnibus non æquè magna eſt, continua quidem, ſuas tamen exacerbationes, vel incertas vel tertio quoque die, habens. Interdum quoque maligna eſt febris illa, & tum in principio difficulter cognoſcitur.

XIIX. Reliqua, quæ præter febrem, inter initia apparent ſymptomata, pleraque partim in febribus contingere ſolent, partim, inſtante criſi, per ſudorem, aut abſceſſum in extremis, obſervari ſolent. Quamvis enim hîc diſputare nolim, an in variolarum proruptione vera criſis ſit, tamen cum criſi multa eam habere communia & per modum criſeos fieri, nemo, qui omnia utrinque apparentia inter ſe contulerit, negare poterit. Operæ verò pretium erit, ſymptomata illa enarrare.

XIX. Percipiunt ægri in toto corpore laſſitudinem quandam, & gravitatem imprimis, quam nonnunquam comitantur pandiculationes & oſcitationes,

nes. De dorſi autem & lumborum quàm maximè dolore conqueruntur, quaſi omnia ibi confracta ſint, cum pulſu ad ſpinam: & hæc quidem inter prima initia, nondum adultâ, vel etiam ſenſibili febre. Aliquando etiam ardor & punctionis aliquis ſenſus in cute eſt, & pruritus punctioque in plantis pedum & volis manuum.

XX. Caput præterea variè afficitur. Nam & gravativi & pungitivi dolores in eo obſervantur, & pulſant tempora, & facies ſæpe tumida eſt, cum rubore maxillarum. Oculi pruriunt, rubent & ſplendent, & aquâ ſuffuſi apparent, imò lacrymæ ſæpe ex illis involuntariæ profluunt. In naſo ſimiliter pruritus, quem deinde ſubſequuntur ſternutationes: in collo & gutture dolor obſervatur.

XXI. In multis inter initia magna & gravis ad ſomnum propenſio obſervatur; alii de inſomniis & turbulento ſomno præcedente conqueruntur, in pueris terrores & clamores in ſomno, etiam gravi illo & præternaturali, frequentiſſimè obſervantur. Procedente dein febre, & inſtante ipsâ variolarum eruptione, mens quoque turbatur, licetque non in adultis tantùm, ſed pueris quoque deliria advertere.

XXII. *Michaël Johannes Paſchalius*, præſtans Medicus Valentinus, qui ſigna variolarum fientium accuratiſſimè propoſuit, unum nempe & viginti, lib. 2. de curandis morbis cap. 10. *tremorem* quoque *pedum* obſervari ſcribit, ſi ſupra dorſum jaceat æger: imò *non ſolùm pedum, ſed & aliarum partium, & aliquando totius corporis tremorem ſe vidiſſe*

 ſcribit.

ſcribit. Decimi autem ſigni loco adduxerat *palpitationem ſeu concuſſionem, quam Barbari ſaltum appellant; differentem maximè à convulſione, tremore, & rigore.* Scilicet eruptionem tentantibus variolis, muſculoſum quoque genus afficitur & variis motibus agitantur hinc inde muſculi. In pueris, qui ad tales affectus peculiariter proni ſunt, veras aliquando epilepſias, antequam variolæ erumpunt, ſpectare licet, frequentiſſimè autem convulſiones & convulſivos motus, cùm in multis partibus, tum aliquibus tantùm, ut in oculis, in labiis. CL. Dn. Præſes annotavit ante triennium in aliquot pueris, labia ipſis ita convulſivis motibus fuiſſe agitata, ut primò matribus ridere, dentibus nonnihil denudatis, crederentur, quæ tamen deinde obſervarunt, præter voluntatem id eſſe, & tremorem quendam conjunctum.

XXIII. Præterea anhelitus quoque difficultas obſervatur, & vox rauca fit, & tuſſes ſiccæ moleſtant. Cor ipſum quoque afficitur, & in multis palpitat, & deliquia animi oboriuntur, adeſtque magna anxietas & inquietudo, ut ægri, quo ſe vertant, neſciant, & pueri in cunis hinc inde ſe provolvant.

XXIV. Et hæ anxietates aliquando à ventriculo ſunt, qui per initia hujus morbi afficitur quoque, id quod nauſea, & vomitus, interdum bilioſi, interdum inanes, valdè frequentes, oſtendunt. Alvus ſupprimitur in pleriſque; quamvis in malignis variolis aliquando non graves tantùm diarrhœas, ſed & dyſenterias obſervare liceat. Urina utplurimum ſanorum urinæ non eſt diſſimilis, aliquando tamen pallidior ſolitò, interdum etiam turbidior.

XXV. Ali-

XXV. Aliquando etiam urina ſanguinea eſt, ſed hoc inter initia rariùs contingit. At ex naribus ſanguinem fluere, nondum apparentibus variolis, ſed inſtantibus, & jam jam prorupturis (vide *Tulpium* l. 4. c. 52. p. 362.) valde frequens eſt, in pueris quoque, qui aliàs narium hæmorrhagiis non ita, ut adulti, obnoxii ſunt. Ideoque quamvis imminentes variolas non indicet hic ſanguinis fluxus, tamen, cùm inter alia ſigna apparet, commotionis ſanguinis indicium eſt, quam natura, in expulſione variolarum occupata, facit. Unde & in quodam, annotante *Dodonæo* obſ. 14. è gingivis profluxit ſanguis, ibique repreſſus per urinam fluxit, ibi verò etiam ſedatus, ad gingivas rediit, nec prius deſiit, quàm à variolis curatus eſſet æger.

XXVI. Hæc autem ſymptomata, uti jam tum ex ipſis verbis meis ſatis patere potuit, quamvis omnia variolarum ſymptomata & ſigna ſint, tamen non ſemper in omnibus apparent ſimul. Primò enim notari hoc debet, quando Epidemicè oriuntur variolæ, tum, inſtar peſtilentiæ graſſantis, ſemper aliquid habere peculiare, & vel hoc, vel illo ſymptomate graviores, etiam inter initia ſeſe cognoſcendas dare: ad quæ prudens Medicus omnino debet attendere. Quod ſi enim malignitas quoque variolis adſit, ut aliquando ſolet, longè alia etiam ſymptomata inter initia comparent, aut certè illa jam ante memorata, vomitus, cardialgiæ, anxietates, deliquia, diarrhoeæ, dyſenteriæ, deliria, convulſiones, lethargique magis urgent. Confer Epidemicarum Variolarum Hafniæ A. 1656. graſſantium deſcriptionem,

onem, factam à *Cl. Bartholino*, & editam in Ciſta Med. Hafnienſi. Locul. 58. & aliarum apud *N. Tulpium* obſ. Medic. l. 4. cap. 52. ubi Aphonias inter ſymptomata quoque meminit.

XXVII. Secundò, ut aliàs in febribus, pro diverſitate corporum, quæ invadunt illæ, vel hæc, vel iſta ſymptomata ſunt frequentiora & vehementiora; & quibuſdam magìs à febre caput, aliis ventriculus magìs afficitur; ſic etiam in variolis ſeſe res habet, ideoque ſtatim etiam inter initia alia atque alia apparere in diverſis ægris ſymptomata videas, facili, dum tam multi ſimul decumbunt, obſervatione.

XXIIX. Sunt tertiò, alia quoque ſymptomata, febribus omnibus communia, quorum ne memini quidem, calor nimirum, & ſiccitas in ore, ſitis &c. quæ nunc remiſſiori, nunc intenſiori gradu, non ſecus ac alia ſymptomata, deprehenduntur, pro corporum habitudine diverſa, ætatis, annique temporum varietate. Uti autem aliàs, quò acutior febris eſt, citiusque terminum ſuum decurrit, eò ſymptomata & plura & vehementiora ſunt; ſic in variolis quoque, ideoque ſenſim illis prorumpentibus, pauciora quoque ex antea enumeratis, advertas: in quo ipſo in malignis variolis etiam diverſitatem aliquam notare licet.

XXIX. His jam præmiſſis conſideremus ipſam variolarum proruptionem & primo quidem loco tempus. Si in genere de eo, quod utplurimum contingit, loquamur, die tertio, & quarto, aut quinto ab acceſſione prorumpere ſolent. Cujus quidem contrarium interdum obſervatur, videaſque Medicos

non

non tantùm ſcribere, quòd citius, ſecundo nempe die; ſed etiam, quòd tardius, quinto, ſexto, imò octavo quoq; & nono variolas prorumpere viderint, quod ad vigeſimum usque diem extendit *Zacutus* Medic. Princ. hiſt. l.2. quæſt.2. Oritur autem hæc varietas partim ab ipſius materiæ motu, partim dependet ab obſervante, id quod explicari meretur.

XXX. Uti enim in omni alia febre & ἐκκρίσει obſervamus, ita hic quoque ſe res habet. Interdum acuta magis febris eſt, omniaque ſymptomata majora ſunt, materia tenuior & mobilior, habitus corporis mollior & rarior, ideoque citius prorumpunt variolæ, ſi præſertim debita etiam & convenientia remedia maturè adminiſtrentur. Contrarium fit, ubi materia craſſa eſt, & habitus corporis minùs diſpoſitus, auxiliaque medica minùs rectè adminiſtrantur, inque diæta errores committuntur, unde febres modò intenduntur, modò remittunt: tum enim vel planè non prorumpunt variolæ, & moritur æger, vel tardè admodum proveniunt, & difficulter evadit æger. In hanc rem notabilem hiſtoriam habet doctiſſimus *VVilliſius* c. 15. de febrib. p. 268. viri cujusdam, cui poſt ſanguinem nimis copiosè ſecundo ab invaſione die detractum, ſudor frigidus, cum lipothymia & pulſu debili ſupervenit: quamvis igitur deinde per medicamenta ſpiritus pulſusque rediiſſent, febrisque redintegrata eſſet, poſtea tamen per plures dies, imò hebdomadas, valdè irregulari modo ægrum febris illa exercuit, & vigeſimo demum die variolæ ſparſim proruperunt. Cl. Dn. Præſes ſimiliter in nobili puero obſervavit nono demum die variolas prorupiſſe. Cùm

 enim

enim in eadem domo quatuor fratres ſimul cœpiſſent decumbere, reliqui quidem tertio, quarto, quintove die variolis jam obſiti deprehenſi ſunt, at unus ſicciori corporis habitu & melancholico, ut appellant, præditus, quarto & quinto die cardialgiis corripi vehementiùs cœpit, 6. 7. 8. ſine febre notabili jacere, extremis frigidis, at nono die auctus eſt pulſus, & cum ſudore, frigido tamen, præter opinionem proruperunt variolæ, & ſenſim puer, omnibus mirantibus, evaſit.

XXXI. Interdum tamen culpâ obſervantis talis varietas, quæ revera non eſt, annotatur, dum principium morbi non exactè obſervatur, id quod in pueris etiam difficilius eſt rectè facere. Dixi verò jam tum aliquando febres quaſdam præcedere, & per illas febres excitari ad eruptionem latentes variolas, ubi, ſi quis initium febris pro initio variolarum habere vellet, illarum proruptionem poſt aliquot demum ſeptimanas contigiſſe, annotare poſſet. Verùm in tali caſu, meo judicio, principium variolarum ibi ponendum eſt, ubi ſymptomata increſcunt, & ita ſe habere, ut inſtantibus variolis, ceu criſi aliqua, ſolent, incipiunt. Deinde etiam, dum Medici hiſtorias narrantes, quidam de rubris maculis primò apparentibus, alii de puſtulis jam elevatis, loquuntur; quidam illas ſparſim prodeuntes non attendunt, de copioſis & confertim exeuntibus tantum ſcribunt, hinc quoque variè proruptionis dies determinantur: ne nunc dicam, nonnullos fortaſſis de puſtulis loqui, quæ verarum variolarum nomen non merentur, quæque ut

ſine

ſine febre prorumpere poſſunt, ceu ſupra dixi, ita etiam certum proruptionis diem non habent.

XXXII. Contingit etiam aliquando, ut, poſtquam cum impetu & confertim proruperunt variolæ, tempore jam definito, deinde illis decidentibus, ſparſim quædam, minore tamen utplurimum numero, prorumpant: quamvis maximam partem hujuſmodi materia relicta, non in parvas puſtulas, quas variolas vocamus, ſed majores tumores & abſceſſus abire ſoleat, de quorum proruptionis tempore, à prioribus puſtulis diverſo nihil adeò certi determinari poteſt.

XXXIII. Quod jam porrò attinet ipſum proruptionis modum, & ordinem, produnt illæ ſeſe mox colore ſuo purpureo ſeu rubro, ſed inter initia macularum tantùm, capitis aciculæ magnitudine, figurâ apparent, nec tum in promtu eſt dicere, ſintne futuræ variolæ, & morbilli, eſtque frequenter pruritus aliquis comes: mox autem attolli incipiunt, & nunc majori, nunc minori, quâ circumſcriptione, quâ altitudine ſeſe manifeſtant, oſtendente ſe intus humore, qui non in omnibus idem eſt, & ſucceſſu temporis aliter ſe habere incipit.

XXXIV. *In* quibus locis primò prorumpant, non licet certò definire, cùm magna ſemper occurrat varietas: ne id quidem certò licet dicere, cùm in omnibus fere corporis locis tam internis, quàm externis prodeant, in quibus potiſſimum apparere ſoleant. Frequenter facies puſtulis obſita eſt, frequenter manus, pedesque: ſæpe tamen immunis facies eſt, & artus tantùm conſperſi ſunt illis, alibi verò luxuriare deprehenduntur. Quin aliquando exterius parcè

prorumpunt, dum internè copioſiſſimas eſſe, omnia ſigna oſtendunt. Non rarò etiam ubique in toto corpore æque frequentes ſunt & denſæ, nec interna libera ſunt. Nimirum pro ratione individuorum, & diverſa corporis conſtitutione, habitus imprimis rari & denſi, in hac vel illa corporis parte, hæc diverſitas contingit; licet etiam nobiliores partes quodammodo defendere, aut ad alias ignobiliores humorem ducere. Retulit mihi Cl. Dn. Præſes exemplum virginis Belgicæ, quæ faciei ſuæ nitoris & elegantiæ ſtudioſa, imminentibus variolis, pedes ſuos balneo emollienti tepido continuò impoſuit, illo manifeſto quidem eventu, ut nullæ in facie apparerent, omnes ad pedes decumberent variolæ, infelici verò eventu, dum inde pedibus immedicabilis paralyſis inducta.

XXXV. Cùm in externa cute apparent variolæ, neminem latere poſſunt, in naſo quoque, auribus, faucibus, gutturis initio ſæpe ſatis conſpicuæ ſunt. At aliquando in interioribus adeſſe, etiamſi non videmus, ex ſignis colligimus; dum de interni pectoris, aſperæ arteriæ & pulmonis variolis, raucedines, anginæ, tuſſes & dyſpnoeæ ſatis teſtantur: œſophagi verò, ventriculi, inteſtinorum papulas cruſtoſas per vomitum rejici, aut per alvum videmus. De quibus tamen ipſis viſcerumque variorum variolis, factâ in demortuis ſectione, luculentius conſtitit. De pulmonibus id obſervatum eſt frequenter, & Cl. Dn. Præſidi quoq;. *Jecur & lienem* addit *Fernelius* l. 2. c. 12. de abd. rer. cauſ. *imò omnia interiora*; non tamen diſtinctè, quid vel ipſe vel alii viderint, narrat. At accuratiſſimus *Kerchringius* obſ. Anat. 62. quæ in puero, repercuſſis variolis

ſuffo-

ſuffocato, ſectione factâ deprehendit, ſatis diſtinctè proponit, *pulmones nempe variolis intus & foris plenos fuiſſe: ipſas variolas in vigore ſuo maturas & pure turgentes: lienem non minùs, quàm pulmonem infectum, tumidum & durum: inteſtina variolarum tantùm quaſi gemmis diſtincta: hepar intactum & ſanum.* Cl. Bartholinus Cent. 4. hiſt. 43. in infante variolis ſuffocato, nullarum in aliis viſceribus à ſe obſervatarum puſtularum meminit, ſed aquæ tantùm viridis in thorace repertæ, qualem & *Kerckringius* vidit, quæ ex puſtulis in pulmonibus exſtillarit. Qui in cerebro, ejusque membranis obſervarit, nemo hactenus repertus eſt.

XXXVI. Oculi frequenter afficiuntur, nec uno tamen modo. Sæpe enim palpebræ, non autem ipſe oculi bulbus, affectæ ſunt, unde involuntariæ lacrymæ oriuntur. Deinde in adnata & cornea tunicis deprehenduntur: Aliquando verò in ipſo interiori oculo, viſumque vel tollunt planè, vel notabiliter lædunt. Cl. Bartolin. Cent. 4. hiſt. 50. variolis Epidemicis A. 1656. *oculos tam ſtrenuè fuiſſe expugnatos ſcribit, ut viſus ſit humor cryſtallinus inde expreſſus.* Cl. Dn. Præſes aliquot pueros, qui durante morbo, de dolore quidem oculorum conqueſti ſunt, nullis tamen externè puſtulis apparentibus, poſtea decidentibus jam variolis, viſum amiſiſſe obſervavit, manifeſtâ in interiori oculo factâ immutatione, in primis circa cryſtallinum, in cujus tunica obortas puſtulas ſuſpicatur.

XXXVII. Sed miſſis internis illis variolis, ad exteriores, de quibus certiora dicere poſſum, revertar. Dum nempe in cute apparere incipiunt, aliquando hinc inde ſparſim apparent, interdum confertim oriuntur.

untur, & plures ſibi appoſitæ, unam quaſi continuam primò maculam, deinde cruſtam oſtendunt: id quod in facie non infrequenter contingit, & deformitatem magnam inducit. Simili modo, ut in febribus malignis aliquando contingit, ut loco innumerabilium macularum, quæ ſub petechiarum nomine efflorescunt, una aliqua prægrandis, quaſi ex plurimis illis in unum conflata, alicubi appareat. Fit etiam interdum, ut materia illa ſparſim tot variolas productura ad unum aliquem locum â natura propulſa, ibi magnum abſceſſum excitet. Non loquor autem nunc de illis abſceſſibus, quorum ſupra th. 32. jam tum memini, qui vel exſiccatis variolis, vel inter illas alicubi ſolent prorumpere, de quibus *Paræus*, *Ballonius*, *Hildanus*, aliique ſcripſerunt, ſed qualem CL. Dn. Præſes in nobili puero hujus viciniæ obſervavit, qui, cùm in eadem domo plures variolis laborarent, ipſe quoque decumbere cœpit, omnibus ſymptomatibus, quæ variolas imminentes ſignificare ſolent, apparentibus, nullibi tamen maculas vel puſtulas habuit: tertio autem die lumbi dolor, quarto inflammatio in dextra nate, apparere cœpit verſus anum, ortumque maximum apoſtema, quod & extra apertum, & verſus rectum inteſtinum prorupit, puero tamen ſuperſtite, & nullis variolis ullibi in corpore defœdato.

XXXIIX. Magnitudine aliàs illæ quoque, quæ ſparſim prorumpunt, non parum inter ſe differunt, uti dein quoque altitudine, quando elevari incipiunt, quibusdam depreſſo capite manentibus. Color quoque, uti in maculis variat, utplurimum rubris & purpureis, aliquando lividis & nigris exiſtentibus, ita in ipſis

ipſis quoque dein puſtulis, dum varii coloris cruſtam nanciſcuntur, eamque vel rubram, vel purpuream, aut violaceam, aut, ut alii loquuntur, plumbeam, aut fuſco-cœruleam, aut fuſco-viridem.

XXXIX. Exſiccatur autem ſenſim ſanies, abitque, qui in illis erat, ſplendor & albedo, & tum concidunt, apparetque in medio, factâ corrugatione, foſſula, donec tandem planè areſcant decidantque (& tum plerumque pruritus, imò ardens aliquis dolor adeſſe ſolet) cujus certum aliquod tempus determinare non licet, cùm ratione ipſarum puſtularum, ratione corporis, ratione partis in corpore, imò ratione quoque medicinarum adhibitarum, nunc citiùs, nunc tardiùs maturentur, areſcant, & decidant.

XL. Et hæc quidem ita contingunt, quando omnia rectè ſe habent, & proinde feliciter fit illa, ut ita loquar, criſis, ſuperantque morbum ægri. Non infrequenter tamen ne proruptio quidem variolarum fit, aut aliquæ tantùm maculæ ſe produnt, & vi febris interea, (aut ſupervenientibus in infantibus Epilepſiis) moritur æger. Quod quidem frequentius contingit, quando maligni quid Epidemicis variolis eſt conjunctum, urgentibus tum deliquiis, deliriis, lethargis, & convulſionibus.

XLI. Aliquando proruptio quidem fit macularum ſatis commoda, imò elevantur quoque puſtulæ, ſed mox, vel ſuâ ſponte, vel externa aliqua de cauſa ſubitò concidunt, & tum in præſentiſſimo vitæ diſcrimine eſt æger, imò, niſi ſubitò ſubveniatur expellentibus, certa mors inſtat. Uti enim in omni alia criſi, & motu humorum ad exteriora repellentia

in

in primis cavenda ſunt; ita hîc quoque. Sunt autem talia, partim medicamenta refrigerantia, partim aër ipſe frigidior. Et priora quidem illa non temere homines ſolent applicare, à poſteriori autem non æquè diligenter omnes cavent. Veriſſimum tamen eſt de omnibus penè variolis, quod de Epidemicis ſuis ſcribit Tulpius l. c. *nihil fuiſſe pernicioſius externo frigore, ſive aëris, ſive aquæ egelidæ, quâ conclavium pavimenta à mulierculis improvidè deterſa:* & excitaſſe *protinus inſignes convulſiones, terribiles morbi comitialis inſultus, cum algido extremorum frigore.*

XLII. Nec minùs ſymptomatici alvi fluxus vel cum, vel ſine ſanguine, peſſimæ ſæpe & fœtidiſſimæ materiæ, diverſionem hîc cauſantes, criſin impediunt, variolas mox flacceſcere & concidere faciunt, ipſamque mortem inducunt. Rarum enim eſt, ut inſtantibus variolis, aut jam apparentibus ſuperveniente ingenti diarrhoeâ, felix dein fiat ſolutio morbi, quamvis à Cl. Dn. Præſide annotatum ſit, plures juniores in eadem domo variolis decubuiſſe, unum autem, quamvis jam in quartum diem febre teneretur, omnibus, quæ variolarum eruptionem præcedunt, ſignis ſeſe manifeſtantibus, incidiſſe in immanem diarrhœam cum horribili fœtore, ſolutumque ita feliciter, qui inſtabat, morbum, nec ex eo tempore hactenus variolis correptum. Quod ſi etiam per urinam ſanguis excernatur, jam elevatis variolis, id magnum periculum inducit.

XLIII. Contingit tamen aliquando, ut prorumpant quidem puſtulæ illæ, non tamen ad perfectam maturationem, multo minùs ad exſiccationem & deciden-

cidentiam proveniant, unde in magno periculo eſt æger, cumque id ipſum non minùs in internis, quàm externis contingere probabile ſit, imò res ipſa doceat, maximam partem ita laborantes ſuffocari animadvertimus: quamvis id ipſum etiam aliquando in aſpera arteria & faucibus à nimia variolarum, etiam rectè ſe habentium, copia fieri poſſit, ſi præſertim febris accedat.

XLIV. Quamvis enim, poſtquam proruperunt variolæ, febris ceſſare, aut certè notabiliter remittere debeat & ſoleat, tamen contrarium aliquando obſervatur, & in imperfecta criſi manet in eodem ſtatu febris, aut, quod non infrequenter obſervatur, nova ſuccedit, & illa aliquando ab inflammatione, etiam viſceris alicujus, dependet, ut faucium, pulmonum, pleuræ, diaphragmatis, hepatis, unde anginâ, pleuritide, peripneumoniâ pereunt & ſuffocantur ægri.

XLV. Atque hæc quidem circa ortum & interitum variolarum ita ſe habent. Pertinet verò ad integram hiſtoriam, ut, quid poſt eas contingat, quoque conſideremus. Ubi quidem primò occurrunt veſtigia variolarum rubicunda, propter cutem attenuatam manifeſtante ſe magìs ſanguine, quæ etiam ſatìs diu durant, imò produnt ſe poſt longum tempus, intercedente calore & frigore, partesque libero aëri expoſitas afficiente. At hæc tamen tandem planè pereunt. Manent verò ſæpius cicatrices, quæ etiam non uno ſeſe modo habent, nec omni parte æquè apparent. In quo enim minimè exſtare vellet, imprimis ſequior ſexus, ibi quàm maximè remanent, in facie ſcilicet, quam ita deturpant, ut alia planè videatur. Quamvis

autem aliquando cicatrices, aliis poſt vulnera & ulcera relictis ſimiles, maneant, tum imprimis, quando vel multæ variolæ in unum coëunt, vel manibus ægrotorum abrumpuntur, quales cum aliqua elevatione ultra cutem exſtant: utplurimum tamen foveæ tantùm ſunt, nunc majores, nunc minores, limbis aliquando nonnihil exſtantibus, quæ cùm leviores ſunt, in junioribus præſertim, ſuccreſcente per ætatem carne, implentur iterum & complanantur, frequenter tamen, ſenes quoque ad ſepulcrum comitantur. Uti verò aliàs in locis illis, ubi cicatrices ſunt, pili, qui ordinariâ naturæ lege ibi exire ſolebant, non prodeunt, ſic hîc quoque contingit poſt illas cicatrices; certè, non niſi magna cum difficultate, & tum demum cum cicatrices ſunt tenuiores, vel prodire illos, vel renaſci videmus.

XLVI. Aliquando contrà non perducere ad cicatricem licet variolas, ſed abeunt illæ in ulcera diuturna, non ubique quidem, in quibusdam tamen locis, & diffundunt ſeſe ſerpuntque non in latitudinem tantùm, ſed profunditatem quoque, ut ad ipſa tandem oſſa perveniſſe, plurimorum experientiâ conſtet. Ubi quidem in pure illo peculiaris acrimonia ſit, neceſſe eſt, non ſecus ac in virulentis Gallicæ luis ſuccis, ideoque etiam inprimis id obſervatur, quando malignitatem aliquam Epidemicæ variolæ conjunctam habent. *Tulpius* l. c. de efferis illis variolis in patria ſua aliquando obſervatis ſcribit, *ulcera adfuiſſe maligna, cum tam perenni acrioris puris curſu, ut, exeſis venis ac ſanguine, carnibusq;, imò ipſis oſſibus vitiatis conſumtisque,*

mem-

membra redderentur non tantùm exſucca, rigida ac incurva, verùm etiam omni omninò motu deſtituta.

XLVII. Præter autem illas cicatrices & ulcera manent nonnunquam poſt variolas hinc inde in partibus, graves læſiones, præſertim in ſenſuum organis. Et de oculis quidem jam tum ſuprà dictum eſt, quod ita graviter afficiantur, ut cæcitas inde oboriatur. *Tulpius* iterum l. c. refert *accediſſe convaleſcentibus, ac jam recreandi cauſa inpublicum denuo prodeuntibus, (quod etiam peſtilentiæ familiare) ut nec opinantibus interveniret, ſive ulcus in adnata oculi tunica, ſive caligo in pupilla, aut aliud immedicabile glaucoma.* Multis quoque propter eroſa lacrymarum in palpebris vaſa fluunt dein oculi involuntariis lacrymis, oriturque morbus, quem Epiphoram vocant Medici. Nec minùs auditus organum, & olfactus læduntur, ut ſurditas & olfactus amisſio ſubſequantur: *Oborta*, inquit, *Paræus*, l. 19. c. 1. *hyperſarcoſi in meatu tum narium, tum aurium*, quamvis aliis quoque modis organa illa affici queant. Novi etiam, cui per variolas ita læſi, quâ labiorum, quâ linguæ muſculi, ut deinde ad pronunciandas quasdam litteras tremerent potiùs, quàm moverentur, &, qui rectè antea & perfectè loquebatur, dein balbutiret.

XLIIX. Facillimè autem pectus afficitur poſt variolas, ſi præſertim accedat minùs diligens ægri cura, nec ſatis externum frigus, cujus impatiens eſt pectus, caveat. Præterquam enim, quòd aliquando obſervatur, à variolis ulcus in pulmone, & veram tandem phthiſin obortam eſſe, quotidiana docet experientia, tuſſes ſiccas, ſæpe ſatis diu urgere ægros, poſt curatas variolas, quæ, ut pulmonem aliquo modo

 affe-

affectum loquuntur, ita, niſi illas tollas, inducere tandem & ipſa phthiſin poſſunt. A *Geſnero* obſervatum eſt apud *Schench, l. VII. p. 842.* in puero quodam, qui, cùm variolæ jam curatæ eſſent, menſe integro pòſt, in puteum deſcendit, & inde altero ſtatim die raucedinem immedicabilem contraxit.

XLIX. In artubus ſimiliter non infrequenter relinquuntur dolores vagi, punctiones, &, in pueris præſertim, paralyſes. Jam tum ſupra aliquid ea de re dictum th. 46, ex *Tulpio*, memorat quoque Paræus loco proximè citato, & docet id quotidiana experientia. Confer *Gregor. Horſtium in concluſ. libelli de variolis* Germanicè editi, vel translationem Latinam *t. 2. oper. p. 311.* ubi & morbi convulſivi, & dyſenteriæ meminit.

L. Uti autem hoc veriſſimum eſt, & jam ſatis demonſtratum, relinquere interdum variolas poſt ſe graviſſimos affectus, dum nempe imperfecta fit criſis, materiaque acris jam fermentata alicubi adhæret: ita viciſſim aliquando, perfectâ criſi, non tantùm integræ valetudini, poſt hunc morbum redduntur, ſed etiam, ſi quos antea habuerunt morbos, aut diſpoſitiones cachecticas, illas cum variolis amandant: non ſecùs, ac per febres morbos ſolvi jam tum notavit *Hippocrates* pluribus in locis, & interdum tertianæ longis morbis ſupervenientes, feliciter eos tollunt, dum & ſingulis paroxyſmis ſudorem natura movet, & humori commoto medicamenta adhibentur. Unde rectè de variolis *Tulpius* l. c. ſcribit, eas *auferendo perniciosam peſſimorum humorum colluviem ſanitati ſemper adeò non nocere, ut interdum etiam plurimum illi proſint.*

Et

Et habet Cl. Dn. Præſes domeſticum exemplum in filio, qui, cùm ante variolas nunquam perfectè ſanus, ſemper in ſtatu, ut vocant, neutro, interdum externè abſceſſibus laboraret, poſt illas rectiùs ſe habere, & vitam degere ſanam cœpit. Quamvis interdum poſſit contingere, ut vis morbi major ſit, quâm, ut per variolarum motum poſſit ſuperari, ideoque poſt illas vel reſtet, vel per illas etiam auctus obſervetur.

LI. Sed jam videamus, an etiam cauſæ quædam procatarcticæ Variolarum obſerventur, quæ, cùm in ſenſus incurrant, primo utique loco memorandæ ſunt, antequam ulterius in naturam variolarum inquiramus. Docet autem experientia, quamvis nullo non tempore ſporadicè quoſdam, pueros præſertim, infeſtent, tamen aliquando Epidemicè graſſari in omnes promiſcuè, in omnem ferè etiam ætatem; id quod ab aëre dependere, quæcunque etiam ſit illa occulta diſpoſitio, nemo facilè negare poterit. Exemplis rem illam confirmare fortaſſis minus eſt neceſſarium, cùm ante triennium & quod excurrit, talis quoque in hac vicinia Epidemica fuerit conſtitutio, junioribus pariter & ſenioribus iſtoc malo correptis, quamvis aliquam peculiarem malignitatem tum adfuiſſe, pluresque periiſſe, aut gravia ſymptomata in multis ſubſecuta fuiſſe, non ſit obſervatum. Aliàs enim id valde familiare eſſe Epidemiis Variolis, ut non malignæ tantùm, ſed & peſtiferæ planè ſint, fide digni ſcriptores teſtantur, *Horſtius*, *Tulpius*, *Bartholinus* locis citatis. Unius adducam Joſephi de Medicis, Cretenſis, verba apud *Horſtium* t. 2. p, 52. cùm hanc rem illuſtrent. *Quid dicam de Variolis, morbis utplurimum Epidemialibus,*

 qua

quæ aliquando adeò ſævæ & malignæ ſunt, ut inſtar veræ & legitimæ trucis peſtis, in omnem ætatem & ſexum graſſentur & ferociant cum multorum jactura & perditione, ut contigit Anno 1614, O! annum perniciabilem! o variolas deteſtabiles! Autumni tempore Alexandriam, Cretam & vicinas civitates Græciæ cum ineffabili mortalitate invaſerunt, ſubſequente hyeme Turciam, Calabriam &c. incipiente vere Dalmatiam, Venetias, Italiam, mox Galliam Belgium, Angliam, Germaniam, Poloniam, fortaſſis etiam Moſcoviam, in ſumma, nulli parcentes regioni, unius anni curriculo totam Europam ſeriatim viſitarunt, atque enormiter depopularunt.

LII. Eſſe autem illam aëris diſpoſitionem occultam, non ſine cauſa, dixi, nec fortaſſis eſt, quod quisquam, ſeſe explicare illam accuratè poſſe, præſumat. Certè, non à nuda temperie vel calida, vel humida, vel ſicca, vel frigida oriri variolas, illud ſatis docet, quòd cum omni aëris temperie, omnibus etiam anni temporibus, graſſari deprehenſæ ſint. Licet enim concedam, per aliquam hujuſmodi aëris intemperiem excitari quodammodo latentia in corpore morbi hujus ſeminia poſſe, factâ fermentatione; non tamen conſtat, qua de cauſa nunc quidem variolæ, nunc verò morbilli excitentur, aliis verò annis, temperie planè ſimilibus, nihil horum.

LIII. Propagari verò variolas contagio quoque, diligenter omnia attendentibus, manifeſtum eſt. Plerumque enim in eadem domo, poſtquam unus ægrotare incipit, mox omnes, ſaltem, qui nondum iis laborarunt, corripiuntur, juvatque non parum ad illas evitandas matura ſeclufio. Fit autem propagatio iſta

per

per contactum ipſorum corporum, mediantibus quoque veſtimentis interdum, & per aërem denique: fortaſſis etiam aliis modis. Conſanguineos faciliùs inficere ſeſe, à non paucis quidem traditur, an verò certâ ſatìs experientiâ, valdè dubito.

LIV. Quod jam attinet ſubjecta, quæ hoc morbo corripi ſolent, primam ætatem maximè obnoxiam eſſe illi, jam tum ſupra oſtendi: ideoque cùm vel Epidemicè, vel Sporadicè contagio graſſantur, infantes puerosque inprimis inficiunt, ab ipſo nimirum ortu ſuo (imò in utero matris affectos nonnullos, variolis plenos prodiiſſe annotatum eſt) usque ad pubertatis annos. Nec tamen minùs alii adultiores, vel per certas tempeſtates, vel contagio inficiuntur, ne ſenibus quidem & decrepitis exceptis.

LV. Solent autem duo præterea communiter hîc annotare: primò ſcilicet, omnes omnino homines ſemel in vita ſua, quâdam quaſi neceſſitate naturæ, corripi variolis; deinde eum, qui ſemel laboravit, impoſterum ab iis eſſe immunem, Quod utrumque aſſertum cum grano ſalis accipi debet. Quod enim primum attinet, verum quidem eſt, inter ducentos homines adultos vix unum reperiri, qui non laborarit variolis: cùm tamen liceat hinc inde non parvo numero ſenes reperire, qui, licet per plures Epidemicàs variolarum conſtitutiones vixerint, non tamen illis unquam tentati fuerint, neceſſitas ſaltem illa in dubium vocanda fuerit, Secundum verò illud non eſſe etiam indubitatæ veritatis, docent tot exempla eorum, qui ſecundâ, imò tertiâ quoque vice variolis &

lis & quidem copioſè, laborarunt, quamvis fortè plures ſint, qui ſemel tantùm iis corripiantur.

LVI. Scilicet non eſt omnibus par ſanguinis impuritas, & hoc quoque variolarum (ut ita loquar) fermentum non in omnibus eâdem eſt quantitate, ideoq; & in quibusdam, cauſis licet externis ſuam vim exſerentibus, planè non excitatur, in aliis contrà ita eſt copioſum, ut ne unâ quidem vice ſatis deſpumet. Eſtq; illud quoque imprimis notatu dignum, quòd, licet aliæ ſanguinis impuritates variis modis ex corpore alicujus hominis amendentur, reſtare tamen nihilominus illud fermentum poſſit, quod ſuo tempore aut citiùs, aut tardiùs effloreſcat. Docet hoc diligentes obſervatores quotidiana experientia Multi infantes cùm alibi, tum in facie, herpete miliari per plures menſes graviſſimè infeſtantur, & blandiuntur ſibi matres, variolas, ſaltem in facie, fore paucas, dum contrarium docet experientia. Retulit mihi Cl. Dn. Præſes exemplum pueri, qui, cùm ſcabie per biennium laboraſſet, deinde per integrum triennium plures, quàm decem magnos abſceſſus hinc inde in corpore ſuo paſſus eſſet, illorum quatuor quotidie adhuc copioſo pure fluentibus, incidit nihilominus per Epidemicam conſtitutionem in variolas tam copioſas, ut nulla pars corporis eſſet immunis. *Cheſneau* lib. IV. cap. V. obſ. 2. de filiola ſua ſcribit, eam, cùm *ſcabie purulentâ & cruſtosâ* laboraſſet, graſſantibus variolis, febre continuâ correptam, tertiaque die, *variolis erumpentibus, ſcabiem quaſi majori cedentem, eis locum dediſſe, nec toto tempore variolarum ullibi apparuiſſe. ſanatis autem variolis, rediiſſe ſcabiem, ut anteà.* Confer *Henr. ab Heer obſ. Medic. 6. p. 98.*

Joh.

Joh. Michaël. Febr, tract. de ScorZoner. pag. 78. Et ita quoque de morbillis, quorum magna eſt cum variolis cognatio, ſeſe res habet, ut aliquando antè infeſtent ægros, variolis nihilominus illis ſupervenientibus, aliquando poſt variolas mox illi appareant, De ſuis Epidemicis variolis ita *Tulpius* l. c. *Non infecerunt tantùm quemcumq; obvium, verùm etiam interdum quoque corpora à morbillis adhuc rubentia.*

LVII. Illud, antequam ab hiſtoria variolarum abeam, etiam adhuc notandum eſt, quod *VVilliſius* obſervavit, citra Epidemias conſtitutiones aut contagium, nonnullos à *crapula aut exercitio immodico* in variolas incidiſſe, cùm præterea nemo circumcirca in tota regione ægrotaret *l. de febr. cap. 15. p. 256.* id quod quodammodo concedo. Cùm enim ſanguis commotus, latens illud variolarum fermentum excitat, non aliter, ac th. LII. ab aëris quadam diſpoſitione id fieri conceſſi, & th. XV. à febribus excitari variolas notavi.

LIIX. Addenda nunc quædam de morbillis quoque ſunt, qui in pleriſque conveniunt, in paucis à variolis diſcrepant. Illa autem poſteriora ſola nunc memorabimus. Conveniunt ſcilicet in modo erumpendi cum febre, confertim tamen magìs, quàm variolæ prorumpunt, & ſigna antecedentia eadem fere ſunt, præterquam, quòd major totius corporis fervor, anguſtia quoq; pectoris gravior, oculorum quoque dolor vehementior, & plures lacrymæ notantur: In eo autem manifeſtò differunt morbilli â variolis, quòd non elevantur, & protuberant, nec ſuppurantur, aut in cruſtam abeunt, ſed inſtar macularum tantùm, pulicum morſibus ſimiles, ſine veſtigio tamen morſus in medio, cum aliqua tantùm cutis aſperitate efflorefcunt.

Hinc verò ſit, ut & prorumpant confertim magis, & citiùs finiantur, & veſtigium ſui nullum relinquentes evaneſcant. In internis quidem, morbillos ſimiliter ac variolas exiſtere nullum eſt dubium, dum tamen non elevantur in puſtulas ſanioſas, minus incommodi afferunt, hincque etiam illorum intus exiſtentium pauciora ſigna ſunt, niſi, quod pectus oculosque ab iis graviter inſideri, ſatìs pateat.

LIX. Et hæc quidem omnia hactenus memorata de Variolis & Morbillis ita ſeſe habere, experientia docet, & cuilibet attendenti ſeſe manifeſta reddunt. Utinam æquè eſſet manifeſta natura illius, quod in corpore noſtro ita agitat ſanguinem, & tandem in cute, vel ſub forma macularum effloreſcere, vel in puſtulas abire facit. Videmur autem illud non incommode Fermenti nomine indigitare (uti apud Medicos recepta illa vox eſt, cùm de febribus agunt) quoniam humores in corpore noſtro agitat, & hinc tam varia ſymptomata facit. At unde illud fermentum veniat, an in corpore ſit & deliteſcat, an extrinſecus adveniat, imprimis quæritur, nec una hîc eſt Medicorum, qua Veterum, qua Recentiorum ſententia.

LX. Non pauci ex Medicis, imò plures, ſi rectè computes, & per aliquot quidem ſecula, conſtanter docuerunt, eſſe reliquias ſanguinis materni, quo in utero nutritus olim fœtus, quæ ita dein ebulliant, & totum ſanguinem fermentent, ideoque & omnibus eſſe communem hunc morbum, infantibusque & pueris potiſſimum accidere. Cui tamen ſententiæ alii ſe oppoſuerunt, argumentis haud imbecillis, cùm de menſtrui ſanguinis natura, deque eo in nutritionem fœtus faceſſente, multa dicantur, pauca probentur.

LXI. Ut

LXI. Ut tamen meam ſententiam paucis exponam, videntur ſanè illi, qui menſtrui ſanguinis reliquias huc advocant, id rectè obſervaſſe, fermentum variolarum & morbillorum omnibus eſſe connatum, & à primo ſtatim ortu adeſſe, ideoque in infantibus, & pueris frequentiùs ſe exſerere. Hactenus igitur illis conſentio, quamvis nolim dicere à ſanguine menſtruo illud ortum ſuum habere. Sunt ſcilicet variæ partes heterogeneæ in ſanguine noſtro ab ipſo ſtatim ortu (undecunque etiam deriventur) quæ ſucceſſu temporis ſecedunt & ſeparantur, ex quibus quædam non exeunt citra agitationem magnam totius ſanguineæ maſſæ, uti in variolis & morbillis aliisque puſtulis, abſceſſibus item & herpetibus aliquando: quædam citra fermentationem notabilem & febres, ut ſcabies, quâ in toto corpore, quà in capite v. quæ initiò harum theſium diximus.

LXII. Ex illis autem heterogeneis partibus ſanguinis, quædam præ aliis à certa imprimis aëris diſpoſitione commoventur, ut ſanguinem fermentare incipiant, aliis quieſcentibus, aut aliquando non diu pòſt commotis, cujus quidem τὸ διότι inveſtigatu difficillimum, τὸ ὅτι tamen certiſſimum eſt, ut th. 56. oſtendi. Æquè verò incognita eſt natura illius fermenti heterogenei, quod nunc in variolas, non in morbillos, nunc in morbillos, non in variolas, ſanguinem deſpumare facit. Nec ſcabies, nec febres, nec per abſceſſus & ulcera educta magna puris copia, illud ſimul abripere poſſunt, uti itidem ſuprà oſtendi.

LXIII. Difficile quidem creditu videtur quibusdam, tale aliquod fermentum à primo ortu ad ipſum usque extremum ſenium (quo nonnulli his affectibus

 laborâ-

laborârunt) inter tot tantaſque ſanguinis mutationes poſſe delitеſcere: quibus tamen fortaſſis probabile id fiet, ubi hæreditarios morbos conſideraverint, quorum ſemina in filios traducta poſt plures demum à nativitate annos ſeſe exſerunt, imô immunibus filiis, in nepotibus ſæpè effloreſcunt: aut expenderint, quomodo venena quædam tàm lentè agant, & contagia quædam concepta poſt notabile ſpatium, occaſione dante, demum ſeſe prodant: quomodo quidam morbi, dum penitus videntur curati, poſt longum annorum intervallum iterum exſurgentes, delituiſſe ſe in ſeminiis ſuis, tot licet intercedentibus ſanguinis mutationibus, manifeſtò oſtendant; cujus, ſi non alibi, in lue certè venerea, luculentiſſimum habemus exemplum.

LXIV. Verùm quæſtio illa de origine fermenti hujus fortaſſe eſt extra uſum artis, & Logica, *Galeni* verbo: id potiùs inquiri meretur, quomodo agat, & quando in actum à cauſa aliqua externa deducatur. Non eſt autem exiſtimandum, materiam omnem illam, quæ per morbillos & variolas excernitur, delituiſſe in ſanguine, tum enim ſine dubio ſe ſignis prodidiſſet, verùm aliquid tantùm à primo ortu adfuiſſe, quod ceu fermentum totam maſſam ſanguineam fermentat atque exagitat, per quam fermentationem ipſum ſanguinis ſerum quandam acrimoniam contrahat, cujus proinde aliquid extravaſa excidat, imò multæ aliæ heterogeneæ partes ex ſanguine ſimul amendentur: hæc enim vera cauſa eſt, cur, ut ſuprà dictum, multi non infrequenter poſt variolas aut morbillos rectiùs ſeſe habeant.

LXV. Quamdiu jam illæ heterogeneæ & fermentantes particulæ nondum ſunt excluſæ ex corpore,

rè, tamdiu durat febris, aut, ſi non omnes ſunt excluſæ, manet quidem, ſed remiſſiori gradu. Ubi verò per illam ebullitionem, aliæ ſimul heterogeneæ partes commotæ ſunt, fit interdum, ut nova febris oboriatur. Ab illa autem febre ea ſymptomata, quæ ante eruptionem obſervantur, deduci debent, quæ tamen, quoniam partim inſtante criſi aliquâ, partim aliàs in febribus comparent, ut peculiariter hoc in loco à me explicentur, non arbitror eſſe neceſſarium.

LXVI. Puſtularum autem in variolis proruptio multa cum ſcabie & abſceſſibus habet communia. Materia enim fermentata & acrior reddita ex vaſis (nec ſine aliquo dolore) exit, & ſub cuticula ſe colligit, tenuior autem eſt & aquoſior, quàm in vulgari ſcabie, atque abſceſſibus, ideoque citiùs evaneſcit, erodit tamen aliquando acrimoniâ ſuâ non cutem tantùm & pilorum radices, ſed etiam membranas, vaſa, carnes & ipſa oſſa.

LXVII. Verùm omnia illa accuratè explicare, mihi quidem integrum non eſt, fortaſſis etiam Medentem parum juvat. Motum autem omnem & morem morbi puto me abundè explicuiſſe, à principio etiam ad finem usque morbi omnia ſigna tam plenè enumeraſſe, ut nunc quidem de diagnoſi ne verbum quidem addere neceſſarium exiſtimem: de prognoſi tantùm quædam delibaturus & dein ſtatim ad curationem acceſſurus.

LXIIX. Ratione proruptionis Variolæ (ut & Morbilli) bonæ ſunt, ſi in externis magìs, quàm in internis, nec ſenſoria occupent: ſi tertio aut quarto die prorumpant, nec retrocedant: ſi febris tum ceſſet, aut

 remit-

remittat cum ſuis ſymptomatibus & tempeſtivè maturentur. Malum autem eſt, ſi internas magìs partes occupent, aut ſenſoriis inhæreant, oculos, & quidem pupillam magìs, aut interiora, occupent: Si tardiùs prorumpant, aut ſubitò evaneſcant, imprimis citra externam aliquam cauſam: ſi febris perſeveret, ejusque ſymptomata, anxietates, deliquia, vigiliæ, deliria, tuſſes, vomitus, convulſiones &c. non ceſſent, ſed vel augeantur, vel in eodem ſtatu permaneant, ſi duræ ſint, nec matureſcant, ſuppurentur, aut evaneſcant.

LXIX. Ipſæ variolæ bonæ cenſentur, cùm in baſi quidem rubræ, ſupra autem albæ, eminentes, molles, & magnæ ſunt: quando autem virides, violaceæ, lividæ, plumbeæ, aut planè nigricantes, quando depreſſæ, duræ & parvæ ſunt, tum periculum minantur.

LXX. Symptomata gravia, partim febrem comitantia, partim ſine illa, vehementes diarrhoeæ, dyſenteriæ, mictiones cruentæ, urinæ nigræ, convulſiones, dyſpnoeæ, tuſſes violentæ, anginæ, nunquam aliquid boni portendunt.

LXXI. In genere quidem dicere poſſumus, à variolis & morbillis paucos exſtingui, plurimos evadere, & formidabile magìs hoc malum eſſe, quàm periculoſum, quòd turpes cicatrices relinquat. Imprimis tamen hoc in infantibus & pueris verum eſt, usque adeò, ut plebeji hos morbos, citra ferè medicamentorum uſum, malè licet victus adminiſtratâ ratione, feliciter ſuperent: Adulti tamen gravius periclitantur, licet ex illis quoque plures evadant, quàm moriantur: Qui verò jam tum morboſi ſunt, difficiliùs hunc morbum ſuperant.

LXXII.

LXXII. Quod ſi in ſpecie de Epidemicis conſtitutionibus loquamur, cùm in illis plerumque aliquid maligni ſit, nunc plus tamen, nunc minus, interdum plures à variolis & morbillis pereunt, quàm ſalvantur. Verè enim petechiales febres aliquando cum variolis & morbillis graſſantur, ideoque illarum naturam habent & ſimiles effectus edunt.

LXXIII. Quamvis autem aliquando, ut jam dixi, benignæ variolæ citra medicamentorum uſum feliciter tranſeant apud nos, felicius forte etiam in regionibus calidioribus, cum *in Perſia deambulantibus ſine ullo febris conſortio variolæ & morbilli erumpant*, teſtante *Joſepho de Medicis* ſupra cit. loc. tamen, cùm non omnes ſint benignæ, imò & benignæ illæ, licet non ſemper vitæ periculum inducant, tamen vel partibus corporis noceant, vel, non rectè deflorescentes, gravia ſymptomata poſt ſe relinquant, debent omnino ægri his variolis, vel morbillis correpti de prudenti Medico eſſe ſolliciti, qui methodicè omnia adminiſtret. Fateor enim, ſi multa medicamenta præter rem & intempeſtivè adhibeantur, pejus ſæpe agi cum ægris, quàm ſi nullis utantur, & ſoli naturæ rem relinquant: ſuntque idcirco interdum feliciores plebeji, qui nullum advocant, quàm Nobiliores, qui in imperitum Medicum incidunt.

LXXIV. Dirigenda autem eſt curatio ad tria, primò ad ebullitionem illam febrilem, per quam protruduntur variolæ & morbilli. Secundò ad variolas ipſas, illarumque maturationem & exſiccationem. Tertiò ad urgentia ſymptomata, ſive durante morbo, ſive poſt illum.

LXXV. Primum quod attinet, jam tum ſuprà

dictum

dictum eſt, fermentum illud variolarum & morbillorum, totum agitare ſanguinem, ideoque febrem conjungi, quæ non antè ceſſat, quâm in cute exanthemata ſe prodant: illorum igitur proruptio artificio quoque procuranda, & natura in opere ſuo, quod molitur, adjuvanda eſt, omniaque impedimenta ſollicitè removenda ſunt.

LXXVI. Quod ſi naturam ducem ſequi volumus, uti omnino debemus, non alia videntur hîc indicari medicamenta, quàm diaphoretica, quæ ad circumferentiam propellunt; neque alia ab omni ævo, experientiâ magìs comprobata & ſecuriora ſunt. His vulgus utitur, hæc ad manum ſemper habent matres, hæc in Medicorum libris utramque etiam paginam faciunt. Sunt autem plura & præcipua quidem: H. Card. ben. Scabioſ. Scord. Hyperic. Dictamn. Fl. Calend. Sem. Naſturt. Nap. Aquileg. Bardan. Card. bened. Rad. Angelic. Helen. Tormentill. Dein C. C. Lap. Bezoard. Antim. diaph. & ex compoſitis Diaſcord. Mithridat. Theriac. aliaque bezoardica dicta, quâ pulveres, quâ Tincturæ, Sales item tam fixi, quàm volatiles.

LXXVII. Verùm, cùm horum omnium non parva inter ſe ſit diſcrepantia, meritò diſquiritur, quando vel hæc vel illa, quæ uſus quidem probavit, verùm in certis tantùm ægris, cum fructu adhiberi posſint: imò illud ante omnia videtur diſquirendum, an illa propellentia ſemper ſint neceſſaria, & non aliquando ipſa illa propellentia, calidiora præſertim, nocere poſſint, cùm præſertim utplurimum cum infantibus & pueris res nobis ſit.

LXXIIX. Exiſtimo autem ego, diligenter conſiderandum eſſe, quo gradu ſit illa efferveſcentia & an ad

expel-

expellendum ſufficiens; quod ex pulſu, calore, ſudore, viribus, exercitato Medico facere licebit: Non minùs enim peccabitur, ſi effervescentia illa plus juſto augebitur, quàm ſi imminuetur. Ideoque in junioribus, plethoricis, ubi motum & agitationem in ſanguine ſatis magnam deprehendimus, abſtinendum eſt ab expellentibus, aut certè â diaphoreticis & cardiacis calidis, ſanguinemque magis agitantibus, volatilibus & ſpirituoſis, illorumque loco uſurpanda, quæ figunt, quæ præcipitant, ſimul tamen ſudorem movent, qualia imprimis ſunt terræ pingues, Corall. Margarit. teſtacea, Antim, diaph. nitrum &c. Quòd enim à calidioribus illis effervescat nimiùm ſanguis, & hæmorrhagiæ & alia gravia ſymptomata ſatìs oſtendunt. Pari verò modo nocet intempeſtiva illa calefactio, quæ nonnullis niminm quantum placet, dum ægros ſine diſcrimine non tantùm in hypocauſtis calidis, inque lecto molli plumis diſtento detinent, ſed etiam linteis præterea calidiſſimis externas partes fovent, & fricant & non niſi calidum potum ſubminiſtrant: qualem tractandi methodum in juvenilibus corporibus peſſimè cesſiſſe, aliquot exemplis me docuit Cl. Dnus Præſes.

LXXIX. Quod ſi effervescentia ſanguinis nimia eſſe videatur, quæritur, quid ſit agendum, ut illa ad mediocritatem reducatur? victus quidem tenuis omnino hic adminiſtrandus eſt, non tamen ille tam cito juvare poteſt. Medicamenta etiam refrigerantia, præcipitantia & incraſſantia, hîc conveniunt, & Arabibus eorumque ſequacibus adeò laudatum decoctum ex ficubus lentibusque: quæritur tamen præterea, an non aliqua quoque ſanguinis detractio utilis hîc ſit, imò neceſſaria?

LXXX. Quàm diverſæ hîc ſint ſententiæ autorum, quantâ ſæpe contentione res acta fuerit, cùm infeliciter

aliquando ceſſit, non eſt hujus loci memorare. Exiſtimo autem omnino poſſe, imò & debere ſanguinis aliquid educi in plethoricis corporibus, æſtu magno, viribus adhuc integris, malignitate nullâ præſente, idque in principio ante variolarum eruptionem: tum enim non tantùm illa ab ebullitione ſanguinis metuenda ſymptomata præcavet, ſed etiam expulſionem ipſam facilitat, imò totum morbum leviorem facit, experientiâ quotidianâ teſte. Vide *Ballon. Epid. & Eph. l. 1. p. 50*, Facilè tamen largior, graviſſimè hîc poſſe peccari, dum vel inconvenienter, vel nimìs etiam magna copia ſanguis educitur. V. *VVilliſium de Febr. c. 15*, ſub finem.

LXXXI. Diximus verò etiam impedimenta omnia ſedulò removenda eſſe, ut melius fiat illa diaphoreſis. Et hîc ſolet illud quæri, an non etiam per purgantia poſſit materia aliqua ſubduci, ut dein rectiùs procedant exanthemata, aut minori etiam copia, & paucioribus cum ſymptomatibus? Videtur enim hoc ratio ſuadere, imò experientia docet, impura corpora majori cum moleſtia & periculo variolis defungi, ideoque ex impuris pura per purgationem erunt facienda. Quo facit, quod ſupra th. 42. dixi, per alvi fluxum ſublatam planè fuiſſe omnem variolarum materiam, ut ne quidem prodire potuerint.

LXXXII. Verùm hæc accuratiùs perpendenda ſunt, cùm facilè hic peccari poſſit. Id quidem verum, impura graviùs à variolis affici: ideòque non improbandum eſt, ut, quando variolæ graſſari incipiunt, impura talia corpora mediantibus purgationibus depurentur, ut variolæ non præcaveantur quidem, (quod purgatione minimè obtinebitur) ſed tamen mitiùs defloreſcant. Verùm illud non quæritur, ſed potiùs, an ſignis variolarum jam præſentibus purgatio inſtituenda ſit? Plerique hîc hærent,

rent, & tutius putant eſſe, ut omittatur purgatio, cùm contrarius motus illi, quem natura molitur, inſtituatur. At Cl. *Franciſ. Sylvius* plurimæ experientiæ & felix quondam Practicus, manifeſtantibus ſe variolarum ſignis, conſiderari vult à Medico, *quales imprimis tum peccent humores, quin quo iidem vergant, nunc ad vomitum, vel ad ſeceſſum, aut ſudores: quo medicamenta ſingulis convenientia præſcribantur, ipſorumq; motus ac evacuatio utilis obſervata promoveatur.* Prax. lib. IV. tract. 1. §. 66. Et retulit mihi Cl. Dn. Præſes celeberrimum illum virum vomitoriis & purgantibus in principio variolarum ſæpius, ſe præſente, feliciter eſſe uſum; & notabili imprimis exemplo in Celſiſſimo Imperii Principe Juniore, in cujus Sereniſſima familia non paucis variolæ lethales fuerant, qui cum illis inciperet decumbere, obortâ dubitatione, an purgatio in corpore ad cacochymiam inclinante, eſſet inſtituenda; prævaluiſſe tum rationes, tum autoritatem Cl. Sylvii, exhibitoq; purgante ex Antimonio, ſed leniori, feliciter variolas prorupiſſe, & paucis & ſine ullis ſymptomatis.

LXXXIII. Non igitur meo quoque judicio ſimpliciter improbanda eſt purgatio, non tamen citra neceſſitatem inſtituenda; in principio tamen, & obſervato diligenter Hippocratis monito, quo in acutorum principio non vult eſſe purgandum, niſi materia turgeat: quando tamen malignæ ſunt, tum quidẽ à purgantibus tantò magis cavebitur: imò forte etiã, ſi Epidemiæ tantùm, in quibus tamen medicamenta purgantia data profuiſſe notat *Ballon. Epid. & Eph. lib. 1. p. 37. & Conſ. Med. l. 2. hiſt. 5. in comm. ſub finem.*

LXXXIV. Poſtquam jam proruperunt variolæ, non tamen ceſſandum penitus eſt, à blandis illis & temperatis cardiacis & diaphoreticis, cùm hoc modo materia rectiùs prodeat, & ita perfecta fiat criſis, integrâ ſub-

ſequente ſanitate: imò etiam, quod fortaſſis ab aliis non ita obſervatum, hoc modo feliciter poſſunt præcaveri veſtigia& cicatrices, quæ aliàs poſt variolas reſtant.

LXXXV. Solent externis quoque quibusdam maturationem variolarum adjuvare, & tandem etiam exſiccationem promovere. Ad prius uſurpant decocta ex ficubus, lentibus, oryza, oleum item amygd. recens. Ad poſterius decocta ex modicè adſtringentibus, Roſis, Santalis &c. Pulveres item ſiccos ex oryza toſta, milio toſto, thure, maſtyche, myrrha, quorum etiam fumum ad exſiccationem illarum nonnulli laudant.

LXXXVI. Interea verò diligens danda opera, ut temperatè calidus ſit aër, in quo verſantur, ne retroceſſio aliqua materiæ fiat, cùm obſervatum ſit, quod variolis jam planè curatis externum frigus illis, qui citò nimis ſe ei expoſuerunt, nocuerit. Poteſt etiam declinante morbo, ſi quid noxii humoris in corpore reſtat, blandè educi.

LXXXVII. Id enim tertio & ultimo loco requiritur à diligenti Medico, ut non minùs ad urgentia ſymptomata in ipſo morbo reſpiciat, quàm, ne aliquid poſt morbum reſtet, provideat. Igitur & nimiorum fluxuum ſubinde occurrentium rationem habebit, & virium imprimis, ne natura, in expellendo occupata, oneri ſuccumbat.

LXXXIIX. Cùm autem quædam corporis partes ſint, quæ variolis affectæ præ aliis grave incurrere periculum ſolent, defendendæ illæ ſunt, quantum fieri poteſt, & ſi nihilominus afficiantur, illis omni ope ſuccurrendum. Tales partes ſunt inprimis oculi, nares, os, fauces, pulmones, inteſtina, quæ tamen non uno modo afficiuntur. Pro ratione autem affectionis curationem deſiderant. Quæ curatio cùm prolixior ſit, medicamenta verò uſu probata ab omnibus Practicis non parvo numero recenſeantur, eam, ut & diætam, lubens prætermitto: cumque nunc alii labores inſtent, pauca hæc de curatione attuliſſe contentus, finio.

SOLI DEO GLORIA.